

## CLXXIX. AGARICUS RÆBORHIZUS LASCH.

*Lasch in Linn. IV. p. 539.*

*Diagn.* Mycena tenax, pileo ex acute campanulato expanso, sicco, glabro, striato, subfulvo; stipite radicato, lævi, "floccoso-pruinoso"; lamellis subliberis; leviter distantibus, albo-pallentibus.

Ad truncos juxta truncos. In Germania variis locis lectus; in Ostrogothia Sueciæ detexit acutissimus fungorum indagator H. von Post.

Diagnosi jam allatæ pauca addere licet. Subcæspitosus, siccus, inodorus. Stipes 2 unc. circiter longus, gracilis, in

speciminibus a me visis glaber, sed, pruina in variis facile disparente, auctoris definitionem sequi debui.

Ex elegante colore potius forsan ad Adonideos referres, sed affinitas cum A. galericulato tanta, ut PERSOON pro illius varietate habuerit. Huic enim optime respondet A. galericulatus \* epigæus *Pers. Syn. p. 177, Alb. et Schw. p. 191.* Equidem primo pro varietate A. chelidonii habui, a quo tamen distinctus stipite exsucco, pileo acute conico etc.

Tab. 83. f. 4 *Agaricum ræborhizum* depingit.

## CLXXX. AGARICUS PARABOLICUS FR.

*Epicr. p. 107. Monogr. I. p. 211. Ag. atroalbus Albert. et Schwein. p. 191, non Bolt.*

*Diagn.* Mycena tenax, pileo submembranaceo, ex ovali parabolico, obtuso, ad medium striato, disco nigricante, margine integro albicante; stipite lævi, rigido, glabro, concolore, basi strigoso, præmorso-radicante; lamellis simpliciter adnatis, adscendentibus, subdistantibus, albicantibus.

Ad truncos Pini præcipue autumnno seriore, in hiemem persistens, gregarius l. cæspitosus.

*Descr.* Stipes fistulosus, strictus l. in situ verticali curvato-adscendens, quam Ag. galericulati minus rigidus, 2—3 unc. longus, lineam crassus, e basi hirto-barbata leviter attenuatus, cinerascens, apicem versus lævis, glaber, sæpius viola-

scens, junior albofarinosus. Pileus submembranaceus, ex ovali campanulatus, demum parabolicus, siccus subnitens, disco nigrescens, lævis, marginem versus striatus, expallens, violascens. Lamellæ simpliciter adnatæ, lineares, adscendentes, subdistantes, raro venis connexæ, integerrimæ, albæ.

Mycenarum more admodum variat. Forma hoc loco delineata a typo recedit stipite curvato-adscendente, fere concolore pileoque magis conico.

Tab. 80. f. 3 *Ag. parabolicum* adumbrat.

## CLXXXI. AGARICUS TINTINABULUM FR.

*Epicr. p. 107. Monogr. p. 211. — Ag. galericulatus v. hiemalis Lasch in Linn. IV. p. 536.*

*Diagn.* Mycena tenax, pileo submembranaceo, campanulato-convexo, subobtusato, lævigato, unicolore (sed maxime vario), udo viscido; stipite rigido, lævi, glabro, pallido, strigoso-radicato; lamellis dente decurrentibus, confertis, planis, tenuibus, albidis.

Ad truncos prostratos variarum arborum, præcipue Fagi, per omnem facile Europam sed ad A. galericulatum vulgo rejectus.

*Descr.* Typicam censeo formam solitariam, stipite curto, sed ex LASCH variat cæspitosus, stipite interdum ad 3 unc. elongato. Ceterum omnibus gravioris momenti notis cum nostro convenit, ut de identitate specifica non dubitem. Color pilei quam maxime varius. Cfr. Lasch.

Tab. 80. f. 4 sistit *Agaricum Tintinabulum brevipedem.*



## CLXXXII. AGARICUS EXCISUS LASCH.

*Lasch in Linn. IV. p. 538. Fries Epicr. p. 105. Monogr. I. p. 207.*

*Diagn.* Mycena firma, pileo campanulato-convexo, disco carnosulo (spadiceo, fusco-nigricante); stipite rigido, tenaci, radicato, lævi, fuscescente; lamellis crassis, subdistantibus, canis, postice exciso-angustatis, subliberis.

Ex Laschio in truncis Pini cæspitosus; ipse vero tantum ad terram solitarium vel gregarium legi.

*Descr.* Pro more Mycenarum statura et colore varians. Laschii descriptio a nostra tantum recedit, ut speciem distinctam facile fingeres, sed omnes characteres essentialis con-

gruunt. Ipse duas legi formas terrestres, alteram Smolandicam in Monogr. descriptam, alteram Upsaliensem, quam icon nostra adumbrat. Hæc recedit stipite longiore (2 unc. et ultra), subflexuoso, pileo fusco-nigricante, lamellis tenuioribus. Characteres essentialis offerunt rigiditas et tenacitas totius fungi, pileus stipesque obscure fusci (numquam in cinereum vergentes), lamellæ postice excisæ.

Tab. 81. f. 1 *Agaricum excisum* delineat.

IV. FRAGILPEDES. Stipes fragilis, siccus, exsuccus, arrhizus. Pileus fragilis, in plerisque hygrophanus. Lamellæ decolorantes.

## CLXXXIII. AGARICUS DISSILIENS FR.

*Epicr. p. 108. Monogr. p. 213.*

*Diagn.* Mycena fragilis, pileo submembranaceo, e conico campanulato, obtuso, ad medium lineato-plicato, obscuro, fusco; stipite subincurvo, striatulo, cinereo-obscuro, basi strigoso; lamellis rotundatis, secedenti-liberis, latis, mollibus, albidis.

Ad terram graminosam haud frequens, nuperius Upsaliæ copiose lectus. Olim inter quisquillas lectus, qualis in Monogr. descriptus.

*Descriptionem* dabo novam ad specimina Upsaliæ lecta. Stipes 2 unc. longus, 1—2 lin. crassus, glaber l. pruinatus,

exsuccus, sub lente striatulus, dilute cinereus, compressus l. flexus in lacinias revolutas dissiliens. Pileus e glandiformi conico-campanulatus, non explanatus, ad medium sulcatus, siccus obscure fuscus, margine concolore l. albicante. Lamellæ postice rotundatæ, fere liberæ, antice latiores, molles, albidæ. — A. pseudoclypeatus *Bolt. t. 154* cæspitosus, truncigenus ad A. dissiliens accedit, ut A. excisus *Lasch* ad nostrum.

Tab. 81. f. 2 est *Ag. dissiliens* imago.

## CLXXXIV. AGARICUS ALCALINUS FR.

*Syst. Myc. I. p. 142. Epicr. p. 109. Monogr. I. p. 214.*

*Diagn.* Mycena graveolens, rigido-fragilis, pileo submembranaceo, campanulato, obtuso, nudo, udo profunde striato, sicco nitido; stipite glabro, sublubrico, basi villosus; lamellis adnatis, subdistantibus, ex albedo glaucescentibus l. obscure cinereis.

Ad truncos vetustos per totum fere annum multis locis vulgatissima Mycena.

Diagnosi datæ vix addenda plenior descriptio. Est colore inter maxime variantes, ut pluribus opus sit iconibus. *Schafferi t. 31, 32* hujus formam stipite luteo sat bene referunt, sed dubium, an sit forma A. epipterygii; odor non indicatur. Hoc loco datur forma inedita, lamellis stipiteque obscure cinereis.

Tab. 81. f. 3 est forma *Agarici alcalini*.



## CLXXXV. AGARICUS PLICOSUS FR.

*Syst. Myc. I. p. 145. Epicr. p. 110. Monogr. I. p. 216. — Ag. oligophyllus Lasch Linn. IV. n. 542.*

*Diagn.* Mycena fragilis, pileo membranaceo, campanulato-expanso, plicato-sulcato, sicco opaco, umbone carnosulo, obtuso; stipite polito, lævi, glabro; lamellis adnatis, distantibus, crassis, venoso-connexis, griseis.

In terra humosa Sueciæ, Germaniæ, Helvetiæ. Olim quoque legi in horto oleraceo ad Femsjö, nuperius in vaporario horti botanici Upsaliensis.

*Descr.* Stipes rigidulus (non mollis ut *A. metati*), fragilis tamen, strictus, æqualis, lævis, glaber, uncialis, griseus l. fuscescens, basi præmorsus, arrhizus, albo-villosus. Pileus membranaceus, e campanulato expansus, umbone carnosulo,

lævi, ceterum profunde lineato-sulcatus, sulcis distantibus fere plicatus, sæpe quoque fissus, uncialis, fusco-cinereus, siccus opacus. Lamellæ adnatæ absque dente decurrente, crassæ, distantes, venoso-connexæ, griseæ demumque albidopruinosæ. *A. metato* videtur proximus, sed hic mollis, stipite laxo, pileo lævigato. — *A. oligophyllus* Laschii quoad staturam cum meo exacte convenit, sed recedit statione circa truncos et lamellis albidis.

Tab. 81. f. 4 ad *Agaricum plicosum* pertinet.

## CLXXXVI. AGARICUS ÆTITES FR.

*Fr. Epicr. p. 110.*

Var. *rufescens* pileo explanato, subrependo stipiteque rufescentibus.

In collibus sterilibus, ericetosis (Lassby backar) prope Upsaliam.

Insignis hæc varietas (et forsitan speciei typica forma) a prius descripta colore pilei et stipitis recedit, ut primo obtutu pro nova specie facile habeatur. Reliqua tamen omnia con-

gruunt et color inter Mycenas maxime varius, ut species non distinguat, quare in diagnosibus raro citetur. *Ag. umbelliferus* Schæff. t. 309 utramque formam manifeste conjungit.

Tab. 81. f. 5 *Agaricum Ætitem rufescentem* representat.

## CLXXXVII. AGARICUS STANNEUS FR.

*Epicr. p. 111. Monogr. p. 214.*

*Diagn.* Mycena firma, pileo membranaceo, campanulato-expanso, glabro, obsolete striato, hygrophano, sicco lævi, stanneo, sericeo-splendente; stipite rigidulo, lævi, glabro, pallescente; lamellis denticulo decurrente adnatis, venoso-connexis, albidis.

Ad terram graminosam in silvis, vulgo gregarius.

*Descriptio* formæ firmioris datur in *Epicr. l. c.* Hæc habitu ad *A. galericulatum* accedit, sed arrhiza, fragilis, ino-

dora. Icon hoc loco proposita sistit formam gracilentam, speciem *Filopedum* referentem. Ceterum omnibus partibus congruunt et varietatis nomine vix dignæ. Plures Mycenæ analogas offerunt formas, statura maxime varias v. c. *A. galericulatus*.

Tab. 82. f. 2 *Agaricum stanneum* spectat.



## CLXXXVIII. AGARICUS VITREUS FR.

*Epicr. p. 111. Monogr. p. 218.*

*Diagn.* Mycena fragillima, pileo membranaceo, campanulato, ubique lineato-striato, umbone discove carnosulo nullo; stipite striatulo, splendente, basi fibrilloso; lamellis adnatis, distinctis, linearibus, albidis.

Locis humidis pinetorum, nobis haud rarus.

*Observatio.* Hujus et praecedentis formae saepe similes, sed certe distinctae; notam hujus speciei essentialem sistunt

lamellae angustae, lineares. A. stannei stipes rigidus et praecipue pilei sicci color stanneus, sericeo-splendens.

A. tenuis *Bolt. t. 37* prioribus quoque similis, sed valde distinctus stipitis tubulo membranaceo, pileo margine appendiculis dentiformibus albis cincto. Boltonii icon bona, sed appendiculi marginis neglecti.

Tab. 82. f. 1 referenda ad *Agaricum vitreum*.

V. FILIPEDES. Stipes filiformis, flaccidus, subtenax, exsuccus. Lamellae decolorantes. Gracillimi, terrestres.

## CLXXXIX. AGARICUS AMICTUS FR.

*Epicr. p. 112. Monogr. I. p. 219.*

*Diagn.* Mycena pileo membranaceo, conico-campanulato, ad medium striato, sicco, glabro; stipite filiformi, aequali, tenaci, villosopulverulento, radice torta, glabra; lamellis liberis, confertis, linearibus, griseis, acie pallescentibus.

Nobilis haec species pluribus locis in Suecia lecta inter muscos silvarum et camporum, sed apud exteros haud indicata.

*Observatio.* Est inter tenuiores, stipite tenui, tenaci, pulverulento facile distincta. Pilei color varians, sed plerum-

que elegans. — Amicus *v.* Post ad Upsaliam detexit speciem (*A. plumbeum*) tam pileo quam stipite albo-pruinosis vere distinctam, quae differt insuper pileo applanato cinereo-plumbeo, stipite basi strigoso etc.

Tab. 82. f. 3 *A. amicti* praebet imaginem.

## CXC. AGARICUS DEBILIS FR.

*Epicr. p. 112 cum syn. Monogr. p. 222.*

Forma hujus typica, inter muscos et folia obvia, pluribus locis descripta et picta, ut hujus iconem novam superfluum censeam; sed solo nudo, arido occurrit forma *fallax* stipite brevior (1 unc. longo l. parum ultra), firmiore et pileo pallescente, cujus iconem dare utile duxi, licet vix

vere varietatis nomine digna, quum unice e statione pendeat et in typicam directe transeat.

Tab. 82. f. 4 sistit *A. debilis* formam *fallacem*.



## CXCI. AGARICUS COLLARIATUS FR.

Fr. Obs. 2. p. 164. Epicr. p. 114. Monogr. I. p. 222.

*Diagn.* Mycena pileo membranaceo, campanulato-convexo, subumbonato, striato, expallente, glabro; stipite filiformi, tenaci, glabro, nitido; lamellis collariato-adnatis, tenuibus, confertis, distinctis, albidis.

Locis graminosis silvarum haud frequens.

*Descr.* Affinis *Ag. stanneo* ejusque more varians stipite

firmiore. Collarium non adest discretum ut in *Marasmio Rotula*; lamellæ modo ad stipitem cohærentes et conjunctæ secedentes.

Tab. 82. f. 5 imitatur *Ag. collariati* formam tenuiorem.

## CXCII. AGARICUS ACICULA SCHÆFF.

Schæff. Fung. t. 222. Fr. Epicr. p. 114, ubi synonyma. Monogr. I. p. 223.

*Diagn.* Mycena subtilis, pileo membranaceo, campanulato-convexo, glabro, miniato-aurantio, margine striato; stipite radicato, setaceo, tenaci, luteo, nitido; lamellis rotundato-adnexis, ventricosis, distantibus, luteis, acie albicantibus.

Inter ramenta, folia dejecta, etiam ad ligna, haud raro.

*Descr.* Tenerrima, sed tenax, persistens. Stipes subtiliter fistulosus, radicans, 1½ unc. circiter longus, setaceus, glaberrimus (excepta basi radicante), nitidus, intense luteus.

Pileus membranaceus, e campanulato convexus, umbone minimo carnosulo, 1—2 lin. tantum latus, striatus, glaber, nitidus, miniato-aurantius. Lamellæ rotundato-adnexæ, fere liberæ, pro ratione latæ, ventricosæ, subovatæ, distantes, alternæ breviores, luteæ, acie albicantes l. omnino albæ.

Vulgo jungitur cum *A. stipulari*, quare utriusque dedimus icones.

Tab. 85. f. 3 præbet *Ag. Aciculam*.

## VI. LACTIPEDES. Lamellæ et stipes radicans siccus fracti lactescentes.

## CXCIII. AGARICUS HÆMATOPUS PERS.

Pers. Syn. p. 379. Syst. Myc. I. p. 149. Monogr. I. p. 224.

*Diagn.* Mycena cæspitosa, pileo carnosulo, campanulato, obtuso, lævi, margine denticulato; stipite rigido, albopulverulento, succo atosanguineo scatente; lamellis adnatis, unicoloribus, albidis.

Ad truncos diversarum arborum ut Fagi, Abietis, sæpe copiose, sed in quibusdam regionibus deesse videtur.

Speciei nobilis et vulgatæ icon desideratur, quare dole-

mus nobis non licuisse adumbrare formam typicam *pileo albo-incarnato*: sed adest sub auspiciis amici LINDBLAD picta icon *pileo obscure fusco*, ceterum nullo modo diversa. Hæc magni momenti, ulterius præbens testimonium, quam levis momenti inter Mycenas sit pilei color.

Tab. 83. f. 1 *Agaricum hæmatopodem*, pileo umbrino-fusco, refert.



## CXCIV. AGARICUS CRUENTUS FR.

*Syst. Myc. p. 149. Monogr. I. p. 225.*

*Diagn.* Mycena pileo submembranaceo, conico-campanulato, striato, margine integerrimo; stipite stricto, glabro, basi villosoradicato, succum obscure rubrum stillante; lamellis adnatis, unicoloribus, albidis.

In pinetis Sueciæ, Rossia, Angliæ ad terram, locis humidis, solitarius.

*Descr.* Inter præcedentem et sequentem medium tenet locum. Stipes fistulosus, 2—3 unc. longus, lineam haud crassus, sed firmulus, strictus, lævis, glaber, numquam villosoradicatus,

pulverulentus, pileo pallidior, basi villosoradicatus, fractus lac obscure rubrum stillans. Pileus submembranaceus, e conico campanulatus, obtusus, striatus, glaber, 3—5 lin. latus, badius l. fusco-ruber, expallens, margine integerrimo. Lamellæ totæ adnatæ, confertæ, lineares, albidæ, acie integerrima concolore.

Tab. 83. f. 2 ad *Agaricum cruentum* spectat.

## CXCV. AGARICUS SANGUIOLENTUS ALB. et SCHW.

*Albert. et Schwein. Consp. p. 196. Syst. Myc. I. p. 149. Monogr. I. p. 225.*

*Diagn.* Mycena pileo membranaceo, campanulato-convexo, striato; stipite debili, flaccido, glabro, laticem dilute rubellum stillante; lamellis adnatis, subdistantibus, pallidioribus, acie atropurpureis.

Inter folia dejecta locis nudis silvarum frequens.

*Descr.* Præcedentibus multo tenuior et pallidior, pileo rubello l. fuscescente. Reliqua ut supra. Iconem dederunt GONNERMANN et RABENHORST, sed nostram prius pro opere paratam haud superfluum duco.

Tab. 83. f. 3 *Agaricum sanguinolentum* sistit.

## VII. GLUTINIPEDES. Stipes exsuccus, glutinoso-viscosus.

## CXCVI. AGARICUS CLAVICULARIS FR.

*Syst. Myc. I. p. 158. Epicr. p. 114. Monogr. I. p. 228.*

*Diagn.* Mycena tenax, pileo submembranaceo, convexo-expanso, striato, sicco, epelliculoso, disco demum depresso; stipite tenaci, glabro, viscido, albido, basi fibrilloso; lamellis adnatis, albidis.

Locis irriguis in pinetis. Speciem in Smolandia detexi; Upsaliæ forma tenuior lecta.

*Observatio.* Pileus pro more Mycenarum colore variat albidus, flavidus, fuscescens. Etiam statura variat. Forma hoc loco picta pro typica habenda.

Tab. 84. f. 1 *A. clavicularis* sistit imaginem.



## CXCVII. AGARICUS PLICATO-CRENATUS FR.

*Fr. Monogr. II. p. 294.*

*Diagn.* Mycena pileo tenuissimo, conico, subumbonato, sulcato-plicato crenatoque, alboflavescente; stipite filiformi, glabro, viscido, pallide rubello; lamellis attenuato-adnatis, adscendentibus, dente decurrentibus, distantibus, albis.

Inter muscos in silvis abiegnis Upsaliæ lectus.

*Descr.* Stipes obsolete fistulosus, intus flavescens. Pileus epelliculosus, colore forsitan varius, sed hactenus semel tantum lectus. Reliqua ut supra.

Tab. 84. f. 2 ad *Agaricum plicato-crenatum* pertinet.

## CXCVIII. AGARICUS CITRINELLUS PERS.

*Pers. Syn. p. 384. Fr. Syst. Myc. I. p. 155.*

*Diagn.* Mycena pileo membranaceo, ex hemisphærico explanato, umbonato, striato stipiteque tenello, viscido, basi villosa citrinis; lamellis uncinatis, distantibus, albis.

Forma primaria Persoonii ad terram in pinetis haud rara; addimus novam formam in truncis vetustis Pini lectam.

Descriptio formæ primariæ exhibetur in *Monogr. I. p. 229* ejusque iconem dedit PERSOON in *Ic. et descr. t. 11. f. 3*. Ab hac vix recedit nostra nisi loco natali et statura minore.

Tab. 84. f. 4 sistit *Agaricum citrinellum truncigenum*.

VIII. BASIPEDES. Stipes siccus, arrhizus, basi nuda in orbem dilatata vel bulbillosa strigosa.

## CXCIX. AGARICUS DILATATUS FR.

*Epicr. p. 117.*

*Diagn.* Mycena alba, pileo membranaceo, convexo-plano, obtuso, lævi, glabro, margine striatulo; stipite filiformi, stricto, basi orbiculari, convexa, lævi, glabra; lamellis collario connexis liberisque, sublinearibus.

Species nobilis, rarissima, bis modo lecta, 1813 in Smolandia, 1851 in Uplandia.

Diagnosi modo addendum, staturam cum *Ag. stylobate* convenire, sed pileum esse latiore. Nomen respiciens *Ag. stylobatem* parum aptum est, præcipue si huc pertineat *Bull. t. 563. f. R. S.*, in præsentem *Ag. dilatato* subjuncta, sed forte species distincta, statura plane alia.

Tab. 84. f. 3 *Agaricum dilatatum* depingit.

## CC. AGARICUS ECHINIPES LASCH.

*Lasch Linn. III. n. 193. Epicr. p. 117 cum syn.*

*Diagn.* Mycena pusilla, alba, pileo tenui, campanulato-convexo, subgibbo, glabro, striato; stipite crassiusculo, glabro, basi bulbillo hirto inserto; lamellis attingentibus, crassis, distantibus.

Ad terram humosam, umbrosam sub Filicibus locisque similibus passim, rarius ad folia delapsa.

*Observatio.* A vicinis facile distincta, sed inquirendum, num *Ag. lacteus* \* *pithyus* alia sit hujus forma, in foliis Pini obvia. Nostra specimina *Ag. echinipedis* cum Laschii exacte congruunt.

Tab. 84. f. 5 *Agaricum echinipedem* proponit.



CCI. AGARICUS PTERIGENUS FR.

Fr. Obs. I. p. 43. Syst. Myc. I. p. 160. Epicr. p. 118 cum syn. — Pers. Myc. Eur. 3. t. 28. f. 6.

*Diagn.* Mycena tenella, rosea, pileo campanulato, obtuso, læviusculo stipiteque flexuoso, capillari glabris, basi bulbiliosa, strigoso-radiata; lamellis latis, adnatis, distantibus, integris.

Ad stipites Filicum exsiccatos, rarius ad folia, per omnem Europam a Neapoli (*Brig. t. 35. f. 6*) ad Lapponiam.

*Observatio.* Species pulchella, plurimis locis jam picta, sed collatis iconibus nostram non omnino superfluum videbis. Lamellæ variant æquales et alternæ.

Tab. 85. f. 4 sistit *Agarici pterigeni* formam gracilentam, pallescentem.

IX. INSITILE. Stipes tenuissimus, insititius, sine radice vel tuberculo radicali.

CCII. AGARICUS CORTICOLA (PERS.) SCHUM.

Pers. Syn. p. 394 incluso sequ. Schum. Sall. n. 1689. Epicr. p. 118, ubi syn. — A. corticalis Bull. t. 519 pr. p.

*Diagn.* Mycena pumila, pileo tenui, hemisphærico, demum obsolete umbilicato, sulcato-striato; stipite tenui, brevi, incurvo, furfurello; lamellis late adnatis uncinatisque, latis, subovatis, pallidioribus.

Ad truncos arborum stantium inter muscos vulgaris.

*Observatio.* Quum hæc et sequens species a plurimis commisceantur, utriusque dare icones necesse duximus. Acu-

tissimus LASCH hunc primus distinxit. Caute quoque distinguendus ab *Ag. supino*, locis similibus obvio ejusdemque staturæ, sed hic tenax est nec marcescens, lamellis liberis, ventricosis.

Tab. 85. f. 2 sistit *Agaricum corticolam*.

CCIII. AGARICUS HIEMALIS OSBECK.

Osbeck in Retz. Suppl. 2. Fl. Scand. Epicr. p. 119. — A. adscendens Lasch in Linn. IV. n. 545 (forma albâ). —

A. corticola et corticalis Auctt. pr. parte.

*Diagn.* Mycena tenuis, pileo membranaceo, campanulato, obsolete umbonato, margine striato; stipite tenui, adscendente, deorsum puberulo; lamellis adnatis uncinatisque, angustis, linearibus, albidis.

Locis præcedentis similibus minus frequens.

*Observatio.* Præcedenti maxime affinis, sed characteres dati videntur constantes.

Tab. 85. f. 1 *Agaricum hiemalen* representat.



## CCIV. AGARICUS CAPILLARIS SCHUM.

Schum. Sell. p. 268. Fl. Dan. t. 2142. f. 1. Epicr. p. 119 cum synonymis.

*Diagn.* Mycena tenerrima, alba, pileo campanulato, demum umbilicato, glabro; stipite insitio, capillari, glabro; lamellis adnatis, adscendentibus, albis.

Ad folia dejecta et coacervata, præcipue Fagi, in serum autumnum persistens, frequens.

*Observatio.* Loco in tabula vacuo comparationis gratia inseruimus hanc speciem, licet pluries pictam. Lectoribus haud ingratum fingo omnes nostras Mycenas insititias uno loco delineatas habere.

Tab. 84. f. 6 *Agaricum capillarem* spectat.

## CCV. AGARICUS STIPULARIS FR.

Syst. Myc. I. p. 160. Epicr. p. 119.

*Diagn.* Mycena tenerrima, pileo convexo, subumbilicato, lævi lamellis paucis, latis, distantibus roseis; stipite insitio, capillari, (sub lente) puberulo, flavido.

In nemoribus humidis ad varias stipulas in Suecia, Germania (*Lasch n. 206*) Helvetia (*Trog Suppl. 2. n. 114 a*), Gallia (*Quél. p. 76*).

*Observatio.* Admodum delicatus. Lamellæ vulgo sex, æquales. Reliqua ut supra.

Tab. 85. f. 5 proponit *Agaricum stipularem*.

## CCVI. AGARICUS JUNCICOLA FR.

Syst. Myc. I. p. 160. Epicr. p. 119. Berkl. Outl. p. 130.

*Diagn.* Mycena tenerrima, pileo e conico convexo, striato, glabro, rufescente; stipite insitio, capillari, fusco; lamellis paucis, adnatis, distantibus, æqualibus, albis.

Ad culmos putrescentes Juncorum a Suecia (*Stehag*) ad Italiam rarior.

*Observatio.* Præcedenti maxime affinis, sed coloribus distinctus. Tenuior quoque est et sæpe fasciculatus ut in *Bull. t. 248 f. D.*, quam addimus vegetationis modum optime monstrantem. Hanc figuram sine nomine alienis immixtam necesse fuit segregare.

Tab. 85. f. 6 *Agaricum juncicolam* depingit.

Mycenarum major pars statura et pilei colore magis variat quam ceteri plurimi Agarici. Difficillimum igitur omnes formas communi diagnosi limitare. Variarum igitur specierum dedi novas icones, a prius datis recedentes, quod lectoribus haud ingratum spero.

In Musæo Academiae Holmiensis insuper depictæ servantur:

*Agaricus aurantio-marginatus, elegans, rosellus, purus* (bis), *Adonis, luteo-albus, lacteus, gypseus, rugosus, galericulatus* c. variet., *polygrammus, lævigatus, atroalbus, ammoniacus, metatus, tenuis, filopes, vitilis, cimmericus, galopus, epipterygius, vulgaris, stylobates.*



## IX. PLEUROTUS. Stipes excentricus, lateralis l. nullus.

## CCVII. AGARICUS ORNATUS FR.

*Epicr. p. 130. Monogr. I. p. 144.*

*Diagn.* Pleurotus pileo carnosio, convexo-plano, subumbonato, luteo, squamulis floccosis fulvo-fuscescentibus consperso, adulto nudo; stipite spongioso-farcto, molli, excentrico, æquali, glabro lamellisque obtuse adnatis, latis, subdistantiibus luteis.

In truncis putridis, ad terram prostratis, in pinetis; in regione Upsaliensi admodum rarus.

*Descr.* Stipes carnosus, intus spongiosus et demum cavus, 1—2½ unc. longus, 3—5 lin. crassus, lævis, glaber, luteus, apice subfarinolentus. Pileus carnosus, disco subumbonato excepto tenuis, 2—5 unc. latus, squamulis minutis, flocculosis, fusco-ferrugineis, demum secedentibus exasperatus.

Caro mollis, albolutea. Lamellæ obtuse adnatæ, luteæ, in majore forma latæ et distantes.

Duæ distingui possunt formæ, inter quas tamen nulli limites. Altera firmior stipite excentrico, pileo irregulari, umbonato, lobato-repando, primitus distincte squamuloso; altera denudata, magis regularis, pileo obsolete umbonato et squamuloso-punctato, lamellis angustioribus minus distantibus. Pileus interdum in rubellum vergit, ut habitus fere *A. variegati* Scop.

Tab. 86. f. 1 formam denudatam *Agarici ornati* sistit.

## CCVIII. AGARICUS CRASPEDIUS FR.

*Fr. Monogr. I. p. 241.*

*Diagn.* Pleurotus pileo carnosio, plus minus excentrico, crenato lobatoque, lævi, glabro, subtestaceo; stipite spongioso, solido, elastico, glabro, pallido; lamellis adnatis, confertis, angustis, candidis.

Ad truncos in pinetis Upsaliæ sat frequens. Etiam in terris exteris lectus; varietas robustior in Britannia: SAUNDERS et WORTH. SMITH.

*Descr.* Cæspitosus. Stipes solidus, firmus, elasticus, intus spongiosus, nunc basi incrassatus, nunc æqualis, in aliis uncialis, in aliis 3 unc. usque longus et tum tortus vel compressus, ½—1 unc. crassus, pallidus, vulgo glaber l. basi leviter villosus. Pileus plus minus excentricus, interdum sublateralis, sed postice semper marginatus, tenuis demumque in margine explicato fere membranaceus, flaccidus, pla-

nus, in maxime excentricis postice depressus, testaceus l. pluviis autumnalibus alutaceo-pallescentis, interdum cinerascens, 3—5 unc. usque latus, lævis, glaber. Margo primo involutus, dein eleganter crenato-lobatus. Caro alba. Lamellæ totæ adnatæ, tenues, confertæ, angustæ, demum lacera-  
ratae, albæ.

Huic nobili et claræ speciei affigere volo hoc nomen, *Hypophyllo plicato* Paul. t. 44. f. 3 primitus datum. Hoc omnibus notis cum nostro convenit, colore excepto griseo l. cinereo, ut nesciam an distinguatur sub nomine *A. plicati*. Intermedia est nostra species inter *Ag. pulmonarium* et *fimbriatum*, sed ab utroque longe distans.

Tab. 86. f. 2 *Agaricum craspedium* representat.



## CCIX. AGARICUS CIRCINATUS FR.

Fr. Epicr. p. 132. Monogr. I. p. 244.

*Diagn.* Pleurotus albus, pileo carnosio, convexo-plano, obtuso, orbiculari, pruina sericella candicante; stipite farcto, elastico, æquali, glabro, subexcentrico, radicato; lamellis adnatis, subdecurrentibus, confertis.

Ad ligna et ramos dejectos haud frequens.

*Descr.* Solitarius, totus albus nec hygrophanus. Stipes farctus, elasticus, 1—2 unc. longus, 2—4 lin. crassus, æqualis, centralis l. leviter excentricus, rectus, glaber, præmorso-radicatus. Pileus carnosus, orbicularis, horizontalis, tenax, e convexo plano-disciformis, obtusus, 2—3 unc. latus, lævis

sed micore sericello candicante obductus. Lamellæ adnatæ, leviter decurrentes, confertæ, 3 lin. usque latæ, albæ. Odor debilis gratus.

Species egregie distincta, verosimiliter primarius *Ag. lignatilis* PERSOON, quum hic illius sensu facile pro *Gymnopodis* specie sumatur, minime vero noster *Ag. lignatilis*. Huic vero hoc nomen re dubia omnium consensu tribuitur. Persoon utrumque facile conjunxit.

Tab. 88. f. 1 *A. circinatum* adumbrat.

## CCX. AGARICUS SPODOLEUCUS FR.

Syst. Myc. I. p. 182. Epicr. p. 133. Monogr. I. p. 247, excl. var. alba.

*Diagn.* Pleurotus pileo carnosio, planiusculo, orbiculari, subhorizontali, lævi, glabro, cinereo l. brunneo; stipite solido, subverticali, glabro, pileo dilutiore; lamellis decurrentibus, simplicibus, confertis, albidis, postice discretis.

Ad truncos arborum frondosarum. In Suecia meridionali legi pileo cinereo-fuscescente; specimina picta, pileo brunneo, ad Ultuna prope Upsaliam.

*Descr.* Ut plurimum solitarius. Stipes distinctus, erectus l. adscendens, solidus, 2—3 unc. longus, pollicis crassitie

l. infra, glaber, pileo concolor, sed dilutior. Pileus carnosus, planiusculus, subhorizontalis, 3 unc. circiter latus, lævis, glaber, dilute brunneus. Caro alba l. cinerascens. Lamellæ decurrentes, confertæ, albidæ, postice simplices.

Species vix cum alia confundenda, excluso *Ag. pantoleuco*. Huic vero admodum similis est *Ag. coriipellis*; statura et habitus convenit, eximie vero differt pellicula pilei crassa, subgelatinosa, separabili lamellisque haud decurrentibus.

Tab. 87. f. 1 pertinet ad *Agaricum spodoleucum*.

## CCXI. AGARICUS PANTOLEUCUS FR.

A. spodoleucus v. alba Fr. Monogr. I. p. 246.

*Diagn.* Pleurotus totus albus, pileo carnosio, excentrico, dimidiato, spathulæformi, lævi, glabro, postice depresso marginato, margine æquali, integro; stipite brevi, arrhizo, adscendente, glabro; lamellis decurrentibus, confertis, simplicibus, basi discretis.

Ad truncos Betulæ. Specimen pictum ex Elfkarleby Uplandiæ reportavit Prof. C. J. SUNDEWALL.

*Descr.* Solitarius, firmus, albus. Stipes solidus, adscendens, valde excentricus, unciam l. parum ultra longus,  $\frac{1}{4}$  unc.

et ultra crassus, æqualis l. deorsum attenuatus, lævis, glaber. Pileus carnosus, adscendens, oblique horizontalis, spathulæformis et leviter convexus, 3 unc. usque longus, 2 unc. circiter latus, lævis, glaber, disco sæpe opaco, margine omnino integro. Lamellæ decurrentes, subconfertæ, minus tamen quam *Ag. pometi*, albæ.

Ad hanc speciem quoque referenda forma minor, pileo magis regulari, subumbilicato.

Tab. 88. f. 2 reddit imaginem *Agarici pantoleuci*.



## CCXII. AGARICUS POMETI FR.

*Epicr. p. 132. Monogr. I. p. 247. — Hypophyllum pometi Paul. t. 21. f. 1.*

*Diagn.* Pleurotus albus, pileo carnosulo, convexo, lævi, glabro, disco depresso; stipite excentrico, solido, tenaci, elastico, adscendente, villosulo-radicato; lamellis decurrentibus, valde confertis, postice distinctis.

Ad truncos Pyri Mali languescens. Descripsi ad specimina Upsaliæ lecta; iconem communicavit von Post speciminum quam nostra tenuiorum in Ostrogothia lectorum.

*Descr.* videas in *Monogr. l. c.* Specimina nuperius lecta minora, tenuiora, stipite breviora. Præcedenti videtur admodum affinis, sed structura alia, mollis, flaccida, stipes villosulo-radicatus, pileus irregularis, margine involutus.

Tab. 89. f. 1 sistit *Agaricum pometi*.

## CCXIII. AGARICUS MUTILUS FR.

*Syst. Myc. I. p. 191. Epicr. p. 132. Monogr. I. p. 247.*

*Diagn.* Pleurotus albus, pileo carnosulo, versiformi, glabro, sicco sericeo; stipite excentrico lateraliqve, brevi, tereti, glabro, basi villosulo; lamellis decurrentibus, subconfertis, angustis, crassiusculis, simplicibus.

Ad terram graminosam tam in Suecia quam exteris terris minus frequens.

*Descr.* Species minor, pumila, a præcedentibus longe distans. *Ag. scyphoidi* (t. 73. f. 8) vero tam similis, ut varie-

tatem facile fingerem. Numquam tamen promiscue nascentes vidi nec ullos transitus directos. De differentiis sub *Ag. scyphoide* jam disserui. *Ag. mutilus* glabrescens, numquam regularis nec infundibuliformis. In Europa australi major et firmior legitur.

Tab. 88. f. 4 *A. mutilum* spectat.

## CCXIV. AGARICUS PULMONARIUS FR.

\* JUGLANDIS *Monogr. I. p. 248.*

*Diagn.* Pleurotus sessilis, exacte lateralis (nec postice marginatus), pileo carnosulo, obovato, in basin stipitiforem brevissimam attenuato, flaccido, glabro, fusco-cinereo; lamellis decurrentibus, concoloribus l. pallidioribus.

Ad truncum languescens Juglandis Holmiæ lectus.

*Descriptio* formæ primariæ data in *Syst. Myc. I. p. 187* et *Monogr. I. p. 248.* Ab hac differt subspecies l. varietas

hoc loco oblata vegetatione caespitosa, pileo sessili, basi modo attenuato sed non vere stipitato; ceterum multo minor. Hæ differentiæ non magni momenti, sed habitus tam diversus, ut speciem distinctam facile crederem.

Tab. 87. f. 2 præbet *Agarici pulmonarii* subspeciem *Juglandis*.



## CCXV. AGARICUS ALMÉNI FR.

*Diagn.* Pleurotus pileo carnosulo, tenui, exacte laterali, reniformi, postice in stipitem brevissimum producto, glabro, fuscescenti-fulvo; lamellis determinate decurrentibus, divergentibus, subconfertis, pileo pallidioribus.

Novam hanc speciem legit Prof. A. ALMÉN in Abiete emortua decorticata in regione Upsaliensi. Erumpit e foraminibus, quæ pici excavarunt.

Diagnosi supra datæ pauca modo addenda. Stipes 1—2 lin. longus. Pileus forma varius, 1—3 unc. latus, majorum margine undulatus.

Tab. 87. f. 3 *Agaricum Alméni* sistit.

## CCXVI. AGARICUS LIMPIDUS FR.

*Epicr. p. 135. Monogr. I. p. 250.*

*Diagn.* Pleurotus pileo carnosulo, obovato reniformive, lævi, glabro, albo, hygrophano, postice stipitiformi-attenuato; lamellis linearibus, confertis, ad basin decurrentibus, albis.

Ad truncos arborum frondosarum pluribus Sueciæ locis lectus, sed apud externos non indicatum vidi, nisi hujus loci sit *Ag. lacteus* Scop.

*Observatio.* Cum nullo alio confundi potest, tantum cum *Ag. miti* comparari. Stipitis rudimentum nec squamulosum nec villosum. Pileus circiter uncialis, sed pro more magnitudine varius.

Tab. 88. f. 3 *Agaricum limpidum* depingit.

## CCXVII. AGARICUS RENIFORMIS FR.

*Fr. in Vet. Akad. Förh. 1873. p. 5.*

*Diagn.* Pleurotus pileo carnosulo, horizontali, reniformi, plano, cinereo, postice emarginato cum brevissimo stipitis rudimento villosulo; lamellis e tuberculo stipitiformi excurrentibus et divergentibus, tenuibus, linearibus, griseis.

Ad ramos exsiccatos Pruni Padi in Ostrogothia detexit H. von Post.

*Descr.* Stipes in tuberculum villosum, album reductus. Pileus leviter carnosus, exacte lateralis, semicircularis, horizontalis, planus, lævis, villosus, cinereus, 4—5 lin. latus. Caro admodum tenuis, subgelatinosa, diaphana.

Tab. 89. f. 3 *A. reniformem* spectat.



## CCXVIII. AGARICUS ACEROSUS FR.

Forma C. *Monogr. I. p. 251.*

*Diagn.* Pleurotus pileo membranaceo, reniformi, plano, striato, griseo l. fusco, sicco albosericeo (in forma fusca canosericeo); stipite brevissimo obsolete; lamellis determinatis, confertis, simplicibus, griseis l. fuscis.

Ad terram, muscos, ligna putrida vulgaris et maxime polymorpha species.

Diagnosis data complures hujus speciei formas complectitur. Plurimarum in *Monogr. I. c.* seorsim dedi descriptiones, quas hoc loco repetere nimis longe deduceret. Quae

hoc loco picta est forma C. l. c., cujus pileus subsessilis, membranaceus, flaccidus, reniformis, margine striatulus, postice vulgo depressus, passim strigosus, udus fuscus, siccus canus. Lamellae decurrentes, vix lineam latae, fuscae. Haec legitur ad acus Pini, muscos, viarum latera. Affinitate jungitur cum *Cantharello lobato*.

Tab. 89. f. 2 sistit varietatem fuscam *Agarici acerosi*.

## CCXIX. AGARICUS NIDULANS PERS.

*Pers. Ic. et descr. t. 6. f. 4 (expallens). Syst. Myc. I. p. 189. Monogr. I. p. 255.*

*Diagn.* Pleurotus pileo carnoso, primo resupinato, dein expanso, sessili, subreniformi, tomentoso, luteo; lamellis concurrentibus, latis, subdistantibus, aurantio-fulvis.

Ad ligna cariosa Fagi in Smolandia, Pini Upsaliae legitur.

*Descr.* Gregarius, passim imbricatus, junior sistens cupulam excentricam, dorso adnatam, dein magis reflexus subdistantibus, reniformis, 1—2 unc. latus, tomento per aetatem squamuloso, luteo, sed variat expallens. Caro in hac grege

sat crassa, firmula, lutescens. Lamellae primo concurrentes, pileo vero reflexo adnatae apparent, latae, subdistantes, aureo-fulvae.

Icon nostra sistit formam laetius coloratam, quam addidi, ut comparetur cum *Ag. Jonquilla* Leveill. *Comm. in Paulet t. 20. f. 4.*

Tab. 86. f. 3 *Agaricum nidulans* adumbrat.

## CCXX. AGARICUS UNGUICULARIS FR.

*Fr. Elench. I. p. 24. Monogr. I. p. 256.*

*Diagn.* Pleurotus pusillus, pileo carnosulo, primo resupinato; stipite incurvo, dein adscendente, pellicula viscosa tecto; lamellis determinatis, distantibus, albis.

In rimis corticis truncorum arborum frondosarum languescentium, praecipue hieme.

*Descriptionem* videas in *Elencho*. Stipite primo incurvo, dein adscendente cum *Ag. septico* et *byssisedo* convenit, sed

pileus modo 1—4 lin. latus, pro ratione carnosulus. Stipes lineam vix longus, in rimis corticis delitescens. Duplicem legi formam, alteram pileo aterrimo in Sorbo, alteram pileo griseo in Quercu.

Tab. 89. f. 4 *A. unguicularem* depingit.



## CCXXI. AGARICUS STRIATULUS PERS.

*Pers. Syn. p. 485. Syst. Myc. I. p. 193. Epicr. p. 137.*

*Diagn.* Pleurotus cinereus, pileo tenerrimo, subcupulari, sessili, striato, glabro; lamellis latis, distantibus.

Ad ligna, ramulos variasque quisquillas humi prostratas vulgatus, e situ variabilis.

*Descriptio* præcipuarum varietatum data in *Monogr. I. p. 195.* Hoc loco offerimus formam typicam nondum delineatam, nam *Ag. striato-pellucidus* in *Pers. Obs. Myc. II. t. 5. f. 8, 9*, ab auctore ad *Ag. striatulum* relatus, species manifeste diversa. In *Myc. Eur. 3. t. 25. f. 3* delineatur forma valde a typo recedens, pileo irregulari, demum deflexo, di-

midiato, cæsio-griseo, qualem in ramis exsiccatis Coryli legimus.

Tab. 89. f. 5 præbet *A. striatuli* typicam formam.

In Musæo Academiae Scient. Holmiens. depositæ insuper sunt icones sequentium: *Agaricus corticatus*, *A. dryinus*, *A. ulmarius*, *A. lignatilis* cum var. *tephrocephala*, *A. glandulosus*, *A. ostreatus*, *A. salignus*, *A. petaloides*, *A. serotinus*, *A. mitis*, *A. tremulus*, *A. dictyorrhizus*, *A. porrigens*, *A. septicus*, *A. atrocæruleus*, *A. algidus*, *A. applicatus*.

X. VOLVARIA. Harum omnium bonæ exstant icones, ut novas dare superfluum. Omnium in Suecia lectarum specierum exstant novæ icones in Musæo Holmiensi.

XI. PLUTEUS. Rhodospori. Hymenophorum a stipite discretum. Lamellæ rotundato-liberæ. Velum nullum.

## CCXXII. AGARICUS ROBERTI FR.

*A. semibulbosus Fr. Monogr. II. p. 295 pr. parte.*

*Diagn.* Pluteus pileo disco carnosulo, ceterum membranaceo, e convexo plano, obtuso, hirtulo, exsulco, albofuscescente; stipite apice cavo, glabro, inferne solido, leviter incrassato; lamellis perlatis, ex albo carneis.

In fagetis Smolandiaë legit R. FRIES.

*Descr.* Ab *A. semibulbosus*, cum quo hactenus conjunxi, tam gravibus characteribus differt, ut non possit non distinguui. In *A. semibulbosus*, qui *A. hispidulo* magis affinis, stipes

tenuis, sed basi inflato-bulbosus, subtiliter fistulosus, rectus, pubescens; pileus æqualiter carnosulus, sed admodum tenuis, sulcatus, atomato-mollis nec hispidulus,  $\frac{1}{2}$  unc. modo latus; lamellæ angustiores. Stipes *A. Roberti* incurvus e situ forte pendet. Pileus uncialis et ultra.

Tab. 90. f. 1 sistit *A. Roberti* imaginem.



## CCXXIII. AGARICUS HISPIDULUS FR.

*Obs. Myc.* 2. p. 97. *Syst. Myc.* 1. p. 201. *Epicr.* p. 141. *Monogr.* 1. p. 264. *Lasch* n. 292.

*Diagn.* Pluteus pileo carnosulo, e convexo plano, sublævi, piloso sericeove, griseo; stipite fistuloso, glabro, lævi, argenteo; lamellis ex albo carneis.

In truncis vetustis Fagi, in quibus omnes fere Plutei species leguntur. In Germania legit LASCH.

*Descriptio* locis citatis adest, prima in *Obs. Myc.* l. c. Est inter valde affines Pluteos minima et distinctissima species, *A. semibulboso* et *A. salicino* affinis, sed ab *A. Roberti*

longius distans. *A. salicinus* differt stipite farcto, fibrilloso, cærulescente vel virente.

In Musæo Holmiensi pictæ servantur *A. pellitus*, *A. cervinus*, *A. ephebeus*, *A. hispidus* v. *vaporarius*, *A. petasatus*, *A. roseo-albus*, *A. leoninus*, *A. chrysophæus*, *A. nanus* cum var. *lutescente*, *phlebophorus*.

Tab. 90. f. 2 *Agaricum hispidulum* representat.

XII. ENTOLOMA. Rhodospori. Hymenophorum cum stipite contiguum. Pilei margo primo involutus. Velum nullum.

## CCXXIV. AGARICUS LIVIDUS BULL.

*Bull.* t. 382. *Epicr.* p. 143. *Quélet Jur.* p. 83.

*Diagn.* Entoloma pileo carnosulo, e convexo plano, sicco, sublævi, glabro, pellicula vero longitudinaliter fibrilloso-contexta, alutaceo l. livido; stipite subcavo, valido, glabro, apice pruinato, candido; lamellis rotundatis, subliberis, e pallido carneis.

In silvaticis ad terram raro, sed ad Holmiam copiose lectus.

*Descr.* Stipes cavus l. medulla spongiosa farctus, validus, 3 unc. longus, unciam et ultra crassus, æqualis, haud fibrillosus, sed striatulus, apice pruinatus, extus rigidus, candidus. Pileus carnosus, disco compactus, e convexo planus, subgibbus, 4 unc. et ultra latus, regularis nec repandus, siccus,

lævis, glaber, sed cuticula longitudinaliter quasi fibrillosa, colore inter lividum et alutaceum vario, pallescente. Lamellæ rotundatæ, subliberæ, vix confertæ, 3—5 lin. latæ, antice attenuatæ, ex albido carneæ. Odor farinaceus.

Fungi speciosi novam damus iconem, quum Bulliardi minus congrua et cognitio hujus maxime necessaria. Quum fungi odore farinae recentis edules vulgo censeantur, hic maxime cavendus; secundum Cel. QUÉLETH experientiam periculosam valde venenatus.


Tab. 90. f. 3 sistit *Agarici lividi* imaginem.





1. AGARICUS (MYCENA) EXCISUS LASCH. 2. AGARICUS (MYCENA) DISSILIENS FR.  
 3. AGARICUS (MYCENA) ALCALINUS FR. 4. AGARICUS (MYCENA) Plicosus FR.  
 5. AGARICUS (MYCENA) AETITES FR.





1. AGARICUS (MYCENA) VITREUS FR.    2. AGARICUS (MYCENA) STANNEUS FR.  
 3. AGARICUS (MYCENA) AMICTUS FR.    4. AGARICUS (MYCENA) DEBILIS FR.  
 5. AGARICUS (MYCENA) COLLARIATUS FR.





1. AGARICUS (MYCENA) HÆMATOPUS PERS.

2. AGARICUS (MYCENA) CRUENTUS FR.

3. AGARICUS (MYCENA) SANGUINOLENTUS ALB. SCH.





4. AGARICUS (MYCENA) RÆBORHIZUS LASCH.





1. AGARICUS (MYCENA) CLAVICULARIS FR. 2. AGARICUS (MYCENA) PLICATO-CRENATUS FR.  
 3. AGARICUS (MYCENA) DILATATUS FR. 4. AGARICUS (MYCENA) CITRINELLUS P.  
 5. AGARICUS (MYCENA) ECHINIPES LASCH. 6. AGARICUS (MYCENA) CAPILLARIS SCHUM.







1. AGARICUS (MYCENA) HIEMALIS FR. 2. AGARICUS (MYCENA) CORTICOLA FR.  
 3. AGARICUS (MYCENA) ACICULA SCHAEFF. 4. AGARICUS (MYCENA) PTERIGENUS FR.  
 5. AGARICUS (MYCENA) STIPULARIS FR. 6. AGARICUS (MYCENA) JUNCICOLA FR.

E. Fries direx.

E. Pettersson & P. Åkerlind del.

Lith. v. h. Schlachter & Seedorff, Stockh.





1. AGARICUS (PLEUROTUS) ORNATUS. FR.    2. AGARICUS (PLEUROTUS) CRASPEDIUS. FR.  
 3. AGARICUS (PLEUROTUS) NIDULANS. PERS.





1. AGARICUS (PLEUROTUS) SPODOLEUCUS. (FORMA TYPICA) 2. AGARICUS (PLEUROTUS) PULMONARIUS. FR. v. JUGLANDIS.  
 3. AGARICUS (PLEUROTUS) ALMENI. FR.

E. Fries direx.

E. Pettersson, P. Åkerlund et A.G. Hafström del.

Tr. Aktieb. i Stockh. lit. AB. Schlachter & Seedorff.





1. AGARICUS (PLEUROTUS) CIRCINATUS FR.

2. AGARICUS (PLEUROTUS) PANTOLEUCUS FR.

3. AGARICUS (PLEUROTUS) LIMPIDUS FR.

4. AGARICUS (PLEUROTUS) MUTILUS FR.





1.



2.

3.



4.



5.

1. AGARICUS (PLEUROTUS) POMETI FR.      2. AGARICUS (PLEUROTUS) AGEROSUS FR.  
 3. AGARICUS (PLEUROTUS) RENIFORMIS FR.      4. AGARICUS (PLEUROTUS) UNGUICULARIS FR.  
 5. AGARICUS (PLEUROTUS) STRIATULUS FR.







1.

2.



3.



1. AGARICUS (PLUTEUS) ROBERTI FR.

2. AGARICUS (PLUTEUS) HISPIDULUS FR.

3. AGARICUS (ENTOLOMA) LIVIDUS BULL.